

Q. D. B. V.

Indultu & Auctoritate

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ Lipsiensis,

P R Æ S I D E

V I R O

Nobilisf. Amplisf. Excellentisf. Experientisfimo

DN. PAULO AMMANN,

Phil. & Med. Doctor. celeberr. Facultat. Medic.

Assessor. graviss. Anatom. P. P. Extraordinar. Colleg. B.

M. Virg. Collegiat. & Academiæ Botanico, Patro-

no ac Præceptore singularitèr
colendo,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

D E

HÆMORRHAGIA,

PRO LICENTIA

Impetrandi Honores & Privilegia in Arte

Medica Doctoralia,

Publico Examine subicit

DANIEL FRIDERICI, Uratislaviens.

Art. Medic. Baccal.

Die 12. April. Anno ;M. DC. LXVII.

L I P S I Æ,

L I T E R I S C H R I S T I A N I M I C H A E L I S.

hol. spec.

146,8

Mod. spec. 1422

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



a. ω.

Prooemium.

Spiritus, Vitæ nostræ Autores sunt, (sine
iis enim corpus exanime est) sanguis sane vitæ
thesauri, ut vocatur communiter, titulum meretur,
cum influo suo spiritu in orbem circumactus ad vi-
talia munia infitos partiū spiritus (*impetum faciens*
vocat *Hippocrates*) excitet, atq; sic vivificet, unde
eum non immeritò *Spiritum rubeum* appellat sacer textus. Non di-
cam hic partium substantiam augeri unicè ex sanguine, nutrimento
corporis; hoc verò quantò præstantius est? quod formales pote-
states nostras, *ideas* vocant Recentiores, in hâc resideant vitæ sede:
unde ex eâ omnes omninò inclinationes affectusq; traducuntur, quæ-
admodum puellam quandam epoto felis sanguine ejus naturam o-
mni ex parte induisse, alium item suillo sanguine pastum, lutum ad
fastidium usq; appetiisse, narrat *Weinrichius in libr. de monstr. c. 15.*
Quæ cum ita sint, non nisi manifesta vitæ dispendia inducent largæ
sanguinis profusiones. Prætereo hîc intempestivos iteratæ Venæ-
sectionis abusus, prout *Helmontio* referente, *Ferdinando* Hispania-
rum Regis Fratri exhaustus adeò fuit sanguis, ut in dissecto deinde e-
jus corpore exsanguia, ad instar crumenæ, flaccida viscera, de cætero
in vasis vix cochlear cruoris, fuerint reperta. Feliciores hinc censet
laudatus Autor ille *Asiæ incolæ*, apud quos Venæsectionis usus ad-
missus non est, quemadmodum *Japonenses* etiam præsidium hocce
recusare prorsus, eò quod cum effuso sanguine vitam quoq; effundi
credant, annotat *Varenius*. Quantò verò periculosiora sunt *αιδεόωσ*
facta ex partibus sanguinis profluvia! cum iis purpurea ipsa, ut ele-
gantè *Bartholinus* vocat, anima effunditur sæpius, quale Exemplum,
morum illud ac omnis doctrinæ Exemplum, *Seneca*, præbuit, qui
hoc modo jussu *Neronis* apertis in balneo venis, ut sanguis efflueret,
morti traditus est, de qua ultima ejus prostant verba lectu digna. De
his

his *Sanguinis profluvii* præsentem discursum conscribere, eundemq̃ more solito Eruditorum Censuræ submittere animus est. Deum interea supplex veneror, ut optatò hoc successu evenire sinat!

§. 1. Quod itaque *Hæmorrhagiam* concernit, ut à nomine incipiã, vocatur sic symptoma hoc sanguinis à Græco αἱμορροΐς, quod propriè vas parvum denotat sanguini exitum præbens. (Medicis aliàs fluxum sanguinis ex vasis hæmorrhoidalibus denotat; serpentem etiam significat, qui morso suo hæmorrhagiam excitat) *Foësius* tamen distinctius ἀπὸ τοῦ αἱματώδους ῥαγῆναι vocari explicat, eò quod vehementi ac largo fluxu sanguis effluat; unde etiam αἱμορροαγέειν appellat *Hippocrates sect. 4. aph. 27.* hoc est, undecunq̃ve & in copia sanguinem fundere. Ille etiam *Catarrhi* nomen, in latissima tamen significatione, profluvio sanguinis attribuit; modo illud ex capite defluat. Confer *Hoffmann. Inst. med. lib. 3. c. 103. p. 452.* Latinis *sanguinis fluxus* itemq̃ *ruptio sanguinis*, Germanis der *B uel Bluß/ Adernbruch/ das hefftige Bluten* vocatur. Dupliciter autem sumitur *Hæmorrhagie* nomen 1. generalitèr pro omni sanguinis profluvio quacunq̃; ex parte, ἀθεόως tamen factò, unde *Hippocrati αἱμορροαγίσαντες* in anōs dicuntur, quibus scilicet sanguis largius effluit. 2. Specialitèr pro fluxu sanguinis ex Naribus, ita *Galenus commentar. in libr. 1. epidem Hippocratis αἱμορροαγέειν* dicit de iis qui sanguinem è naribus effundunt, quod etiam *Hippocrates ἀπὸ τοῦ ἔξιν* stillationem sanguinis appellat. Generalitèr sumta hæmorrhagia, prout & nos eam hic tractamus, varias sub se species continet, quæ à partium potissimum, per quas excernuntur diversitate determinantur. Sunt ea loca excretionum naturalia, & vel *totius corporis*, pori scil. cutis, utpote ex quibus sanguinem sudoretenus effluxisse observatum est. Ex Venis equidem effluit semper sanguis, ex enim etiam in cutis superficie apertæ factæ fuerunt sæpius; ita fluxum venarum poplitis ad hæmorrhagiæ species refert *Kosakius tract. de hæmorrhag. l. 2. c. 13. §. 687.* sed hic determinantur tantùm loca, per quæ ex venis ἀθεόως effluit sanguis. Ea que sunt vel *partialia*; & hæc vel *communia*, vel *propria*. Communia sunt 1. *Nares*, quorum fluxum sanguineum absolutè hæmorrhagiam interdum vocari paulò ante notavi: 2. *Os*, & ex eo fluit sanguis, vel per arteriam asperam è pulmonibus, hæmoptysin tunc vocant; vel ex stomacho, unde *Vomitus sanguinis* vocatur; vel ex *faucibus*, tuncque generali

generali nomine *sputum sanguinis* audit. 3. *Anus*, unde *hepaticus fluxus ac dysenteria* potissimum. 4. *Urinae via*, ex quibus *cruenta mittio*. Referunt huc alii *m. Gonorrhæam*, quia feminis materiam sanguineam esse ex veterum sententiâ docent: contrarium tamen, nec ex sanguine sed ex succo chyloso per lacteas in testium glandulas adducto elaborari semen evidentè probavit *Everhardus in tract. de hominis brutiq; exortu p. m. 16. & seqq.* Idem sentiendum est de fluxu albo Mulierum, quem ad hæmorrhagiæ species refert *Hoffmannus*, eò quod vel semen muliebri illum esse, vel ex sanguinis materia constare credat. Probabilius tamen est albi hujus profluvii materiam æque esse chylosum succum à debilitate uteri corruptum, quem lactea per uteri ligamenta rotunda huc adferunt: nec alium ab eo albo humore, quem copiosè sæpius mulierculæ effundunt. Hunc verò chylosum esse egregiè docet *Bartholinus tract. de lact. thorac. apud Hemsterbusium in Mess. aur. c. 9. p. 84.* Atque his de causis & Gonorrhææ & albi hujus profluvii tractationē, hâc in dissertatione omittere volui. Propria autem loca sunt 1. *hæmorrhoidalia vasa*, quorum fluxus *αιμορροϊς*, ut supra annotavi, & frequentius in plurali *αιμορροϊδες* vocantur: hos tamen fluxus etiam *ano* attribuit *Hoffmannus*. 2. *Uterus*, cujus fluxus menstruus dicitur, absolutè etiam menstrua vocant, *Helmontius lunare tributum* appellat. De his omnibus hæmorrhagiæ speciebus conjunctim hîc agimus, cum idem agnoscant subjectum, ab eadem causa proveniant, easdem etiam curationis leges requirant: De reliquo saltem variant secundum accidentia, excretionum scil. loca. Atq; sic hæmorrhagiam conjunctim tractandam esse rectè præcipit laudatus *Hoffmannus cit. libr. p. 453. & 462.* Novitè etiam hâc methodo, citato antea tractatu, hæmorrhagiæ tractationem executus est *Kosakius Medicus Bremensis.*

§. 2. Definitur Hæmorrhagiæ quod sit immodica sanguinis excretio toto genere præter naturam, ab ejus quantitate vel qualitate vitiosa, potissimum insiti spiritus concitatione, ortum habens. Genus posui Excretionem, sicq; ad symptomata in Excretis hæmorrhagiam refero. Cum enim ejus quidditas in Excretionem consistat, ad hanc verò symptomatum classem, ut rectè docet *Sennertus noster in Instit. l. 2. part. 3. c. 10. p. 339.* excreta referantur, habito tantum ad materiam quæ excernitur (non ad ipsam excretionem, neq; ad id, à quo illa fiat,

sic læsæ alicujus facultatis symptoma vocari, vel etiam ad continui
 solutionem referri deberet (sanguinis fluxus) & ejus naturam & sub-
 stantiam respectu, rectè etiam sanguis ejusq; status præter naturalis,
 quo nimium ille evacuatur, *symptoma in Excretis* censeretur. Ne-
 que enim quæ toto genere præter naturam sunt, ac excernuntur, ver-
 mes scilicet itemq; calculi, pili &c. & quæ alia sæpè sunt injecta à
 Sagis materialia, ut *Helmontius* vocat, ad hanc symptomatum clas-
 sem tantum spectant, sed etiam & eodem quidem jure illa huc refe-
 runtur, quæ secundam naturam quidem extant in corpore, utpote
 sanguis, hoc autem vel illo modo præter naturam excernuntur. At-
 que sic etiam intelligendum est, quod in Definitione generi huic *dif-*
ferentiam addiderim *specificam*, esse scilicet sanguinis excretionem
 hanc *toto genere præter naturam*, modum scilicet seu actionem ipsam
 excernendi intellige: quo ipso etiam distinguitur à critico fluxu ut
 sequens illud §. explicabit. Unde etiam fuit genuinum hujus sym-
 ptomatis *subjectum* esse ipsum sanguinem, utpote qui formale ut vo-
 cant, constituit hoc in excretorum symptomate, in quem etiã agunt
causæ omnes proxima pariter & antecedentes. Ex iis *efficientes ac*
immediatas receptã methodo in definitione posui *quantitatem* quidẽ
 & *qualitatem* ejus vitiosam, potissimum tamen *insiti spiritus concit-*
ationem, quam auctam facultatem vel læsam facultatem expultri-
 cem *Dogmatici, Helmontii* verò asseclæ, *furorem Archei* appellant;
 quod pluribus explicant aphorismi seqq.

§. 3. In antecedente §o dixi, fluxum sanguinis, prout eum hic
 consideramus, distingui à critico fluxu; & hæc est recepta in scho-
 lis nostris distinctio *hæmorrhagiæ in symptomaticam & criticam*. In
 critica debito tempore, ac justa quantitate, & cum *εὐφορίᾳ* ægri
 fluit sanguis, morbum etiam ea sæpè solvit. Quantum commodi at-
 tulerit Scorbuticis & Melancholicis hæmorrhoidum fluxus loqvun-
 tur observationes; unde *Hippocratis* *sect. 6. aph. 48.* effatum est, *Lie-*
nosus difficultas intestinorum (intelligit dysenteriam) *superveniens bo-*
num. Sed & alii morbi cum fluxu sanguinis solvuntur: ita variolas
 subsequente Dysenteria curatas observat *Riverius cent. 1. obs. 71.* imò
 sæpius suppressus ipse sanguis alibi aliquã sui parte evacuata liberũ se
 reddidit; nimium etiam fluens hoc modo sistitur: de quo iterum
Hippocrates *sect. 5. aph. 32, & 33.* consuli potest. Huc referendi sunt
 benigni

benigni naturæ motus, quibus se ea ab eo quod noxiûm est, ut Hippocrates noster loquitur, concitato etiam fluxu sanguinis præservat. Salutares Menstruorum hæmorrhoidumq; fluxus hîc prætereo: notabile verò est, quod adducit Exemplum *Benivenius*, cuidam stato tempore ex aperto spontè in abdomine foramine sanguinem effluxisse postea illud iterum se clausisse, ne vestigio quidem ejus remanente. Consimile Exemplum habet *Wepferus exercit. de apoplex. p. 230.* Ita periodicum sanguinis vomitum à morbis multos præservasse extant Exempla apud *Bartholinû cent. 3. histor. cent. 36. Salmuth. cent. 3. obs. 13.* aliosque. Ad hunc modum imitari ii videntur naturam, qui præservationis causa Venæsectionem, statis temporibus in usum vocant, quâ proinde intermissâ aliquando malè habent; unde tunc etiam in Venâ pungi solitâ, titillationem sentiunt, natura quasi ad solitas evacuationes monente, ut elegantè loquitur laudatus *Bartholinus hist. cent. 5. hist. 19.* ubi etiâ exempla adducit Venas eû in finè spontè apertas fuisse. Præterea impeditis ordinariis, alias sibi haud rarò vias quærît aperitq; sanguis. Menstrua ex *canthis* oculorum effluxisse observavit *Dominic. Sala Patavinus: ex pedibus Bartholinus cent. 1. hist. 16. per Os Salmuth. cent. 3. obs. 36.* ita quoq; menstruum hæmorrhoidum fluxum suppressum sanguinem per os effudisse, & apud alium aliquem in menstruum sanguinis sputum commutatû fuisse annotat *Amatus Lusitanus cent. 5. obs. 3.* Hi tamen fluxus habent hoc præternaturale, ut per alia loca evacuentur, quod egregiè explicatum vide apud *Sennert. instit. l. 2. part. 2. sect. 1. c. XI. p. m. 339.* ubi ea proinde symptomatibus in excretis annumerat: hinc quoq; revulsione curari debent, prout fluxum illum ex *canthis* oculorum salvatellæ sectione laudatum *Dominic. Salam* curasse cit. loc. refert *Bartholinus.* Nos verò hîc de *symptomaticâ* hæmorrhagiâ agimus, quæ in statu præternaturali est, cum læsa actione & ipsam sæpè animam effundit. Et in hâc vel profluit *purus* sanguis vel *vitiosus*; ita Lienosos quosdam picî similem cruorem effudisse annotat *Forestus.* Sanguinis & puris fluorem per alvum à biennio inveteratum cum febre annotat *Posterius cent. 2. c. 6.* Sæpè etiam partium frustra ejiciuntur: Exempla vide apud *Schenck. obs. l. 3. de hepate.*

§. 4. Nunc ad causas hæmorrhagiæ accedendum est. Illas ex veterum sententiâ distinctè præ reliquis explicat *Hoffmannus cit. lib. instit.*

*instit. c. 93. p. 445. his verbis. Omnis sanguinis fluxus fit à tribus causis, quæ tria peculiaria nomina habent mirificè apud Galenum aliosq; perplexa, quæ nunc paucis ita expedio. Per ἀνασόμωσιν, vasorum apertionē vulgo, osculationem Cælio Aurelio dicitur ire sanguis, cum per extrema oscula vasorum capillarium dictorum sanguis fluit. Et hoc ferè fit ob copiam, quam plethoram dixeris. Per Διαπήδησιν, Exsultum soleo vocare, cum nihil omninò passis vasis jam dictis sanguis ipse tam est tenuis & serosus, ut à vasis contineri non possit. Vocatur & διίδρωσις, transsudatio, transcolatio. Per διαίρεσιν divisionem, potius continui solutionem, exit sanguis quatuor modis τρώσει vulnere, θλάσει contusione, ρήξει ruptura, Διαβρώσει erosione. Huc usque ille, & cum eo veteres de hæmorrhagiæ causis. Ex iis verò si excipias Διαπήδησιν, in qua ratione qualitatis suæ, quâ peccat, transsudat sanguis, reliquæ causæ effectus potius hæmorrhagiæ, (morbi producta vocat *Helmontius*) dicendi sunt. Ut enim vasorum apertio fiat, adsit necesse est e. gr. *Plethora*, quâ quantitate peccat sanguis, atq; sic quantitas illa causa fuit, quæ consequentèr tantum vasorum apertionem effecit, ut per eam succedant fluxus. Neq; etiam in curatione vasorum illa apertio respicitur, ubi causa hæmorrhagiæ tollenda est, quâ nisi sublatâ, non tollitur morbus, sed hoc loco plethoræ seu quantitati succurritur, aliàs qualitatibus, potissimum verò *Exarthrosi* (quo vocabulo utitur *Helmontius* pro *Archei* vel etiâ sanguinis ebullitione) sanguinis &c. Nec adstringentia oscula vasorum claudunt, sed ipsum sanguinem cohibent, donec tandem per se coëant vasorum orificia, ut eorum vulnera in Venæsectionibus. Pari modo quo in *Nephritide* inciduntur *Ureteres*, exulceratur parenchyma renum, non tamen exulceratio illa vel etiam læsiones *Ureterum* semper causæ sunt *nephritidis*. De violentis autem causis illis in διαίρεσει quid sentiendum sit, egregiè docuit laudatus *Helmontius tract. de susceptis* cujus tamen verba, ne veteres prorsus rejicere videar, solum relative hîc adducere placet, (sic vocat externa illa & violenta quæ continuum solvunt) ubi dicit: *Habent suscepta illa, istud peculiare, quod per se potius mortem quam morbum introducant. Per accidens enim est quod vulnus partem carnosam vel ipsum cor, arteriamvè præscindat. Adeoq; vulnus sui initio minitatur mortem parti, cui infligitur, semperq; suscepta sapiunt naturam artificialium &c.* (Morbi enim verè sic dicti ex causis naturali-*

turali-

naturalibus procedunt, de quo egregiè dictum à *D. D. Langio b. m.* in *colleg. patholog.* naturam æque morborum effectricem, quam curatricem esse) atque sic, ut paulò post vocat *Helmontius*, vulnus est *mors continui absoluta vel minitata*, & tum demum suscepta inter morbos refert, dum vim suam in Archæum intulerunt, ut ille exandescens inflammationes excitet &c. Sic ergò intendunt protinus mortem violentæ læsiones illæ, quæ effluxum sanguinis suscitant, ut in præfatione traditum Senecæ exemplum hoc demonstrat, nec proinde in morborum censum veniunt. Nos quoq; Hæmorrhagiæ causas spectabimus, prout illæ internæ sunt, naturales & non naturales (quæ contra distinguntur artificialibus) admista acria ipsius sanguinis, acredo ejus salis volatilis, principium item aliquod archæale &c. & quatenus extrinsecus quidem accedunt causæ occasionales, recipit tamen eas sanguis, ac inde errorem ipse concipit, quo aperit vasa, seque effundit.

§. 5. Causas verò hasce, prout præter naturalem sanguinis motum, hæmorrhagiam scilicet excitant, tradere nequeo, nisi prius causam naturalis motus seu impulsus explicavero. Illum enim auctum seu excitatum proximè & immediatè Hæmorrhagiam efficere, dixi jam antea. Nolo autem prolixè hîc aliorum opiniones excutere, una mihi hîc sufficit *Harvæi* sententia, quam expendam. Ille verò unicè docet, moveri sanguinem à motu, seu impulsu cordis, eo pacto, quo cum quis chirothecam inflat, omnes digitos simul vidit distendi & pulsus æmulari, *vid. tract. ejus de motu cordis p. m. 35. & seqq.* Sed si illud, cur ligatâ arteria aliqua, (sufficiat unicum hocce) post ligaturam movetur sanguis pulsusque edit? cum tamen ab injecto vinculo sufflaminetur impulsus; nec venæ edunt pulsus, licet moveatur in iis sanguis æque per impulsus receptus. Nec obstat quod objicit *Harvæus* extravasatum sanguinem non micare, quod tamen fieri deberet, si internum haberet suum agens, tunc enim emoritur protinus expulso ejus spiritu à frigore, unde etiam coagulatur. *Galenus* equidem consimilibus experimentis à *facultate vitali* per arteriarum tunicaseducta micare sanguinem asseruit, sed alterum ejus experimentum, quo arteriæ inclusam aliquam fistulæ partem ac ligaturâ constrictam transmisisse quidem sanguinem sine micatione, tamen post ligaturam, eò quod in tunica facultas illa fuerit impedi-

B

ta, im

ta, impugnatur facile, quod arteriarum tunicas osseas factas fuisse observarint *Fallopianus, Harvæus, Paræus*, pulsu tamen in iis persistente. unde rectius statuimus cum *Deusingio* aliisque, ipsum sanguinis spiritum, quem vitalem vocant in sinistro cordis thalamo ei impressum, motus & pulsus causam esse. Atque hic est Spiritus ille influus, quem insitos partium excitare docuit *Hippocrates*, ab eo sanguinem in pulsu cieri, rectè tradiderunt *Avicenna, Erasistratus*, veterumque alii.

§. 6. Atque hoc modo, cum influere sanguinem, addo & circularitè moveri, statuunt communiter à facultate, quam vitalem appellat *Galenus*, ab eadem quoque auctà proximè sanguinis profluvia concitari, admittant necesse est. Unde etiam cum diversa sint facultatis illius munia, retinere, expellere &c. hic verò auctio sit in expulsionem, facultatem quoque expultricem læsam, ceu proximam hæmorrhagiæ causam, accusabunt procul dubio, quemadmodum huic causæ reliquorum humorum expulsionis causam attribuunt. Ita fluxus hæmorrhoidum causam ponit *Jonstonius lib. 1. Idea sua p. m. 541.* quicquid vel expultricem venarum & arteriarum, vel retentricem earum lædit &c. Sed facultatum illa nomina cum *Entio* aliisque explodit *Charletonius in œconom. animal. p. m. 121.* ubi dicit: *Temeraria & figmentorum feracissima illa capita, que inanes hæc chimeras, Facultates nimirum attractricem, retentricem, expultricem &c. primò excogitarunt &c. pari jure sexcentas alias potuissent fingere, usque dum facultatum numerus in infinitum excrevisset: & concludit, ex partium sive organorum constitutione ac structura, meatuum scilicet & porulorum habitudine, actionum naturalium differentias suboriri, & consequenter præternaturaliter quoque urgentibus causis aliis, easdem affici. Has ob causas etiam Archæi nomen, quod loco Facultatis melius substituunt Hermetici, novitè rejecit *Petrus Guiffonius in tr. de trib. Princip.* Sed illa pororum conformatio hoc saltem efficit, ut hic nec alius humor per eos excernatur, aliunde tamen habeat necesse est aliquod movens seu impellens, nisi attrahendi vim aliquam ipsis osculis seu meatibus attribuere velis, quod tamen æquè absolum est. Quanquam ad hoc nec meatuum illa conformatio sit sufficiens; neque enim video cur in intestinis tenuior ros non æquè subintrare possit mesaraicas, quam crassior chylus, præprimis cum uterque eorum confuse à musco villosa imbibatur, unde aliam hujus distribu-*

distributionis causam ponit *Helmontius*; pylori scil. *actionem regimē-*
nis, quam tract. de pyloro explicat. Atq; sic movens aliquod naturale
 se habet, quod irritatum concitatumq; in statu præternaturali po-
 rorum illorum vias recludit, relaxatq;, ut effluat *ἀβρόως* humor ali-
 quis. Hoc verò impellens seu movens, veteres *facultatem* vocant,
 non tamen quid ea sit, unquam accuratè explicatum determi-
 natumq; debere. Rectiùs ergò *Hippocratis impetum faciens* hocce,
Spiritum insitum esse Hermetici exprimunt, quem, cum omnis motus
 actionisq; Autorem esse viderint, *Archæum* vocarunt; vocet eum a-
 lius quomodocunq; lubet, dicit *Helmontius*, dummodo quid res sit,
 ipsum scil. eum esse spiritum, sciamus. Ab hoc itaq; spiritu cum natu-
 raliter moveri sanguinem in antecedenti §. demonstraverim, præ-
 ternaturaliter quoq; eum concitari, ut effundat sese in hæmorrhagiis,
 ulterius probabimus.

§. 7. Non quidem adèò necessarium est, ulterius demon-
 strare proximam hæmorrhagiæ causam in Archæi furore consistere;
 cum enim consentiant veteres, ut ex superioribus patet, facultatem,
 quæ naturali motu circumfert sanguinem, irritatam in expulsionem
 proximè sanguinis profluvia concitare, eam verò determinatè insi-
 tum spiritum esse explicaverimus, ejus quoq;, seu Archæi furorem
 suscitatum à causis occasionalibus præternaturalem sanguinis efflu-
 xum efficere necesse est. Sic etiam reliqui morbi, qui consistunt in
 læsâ actione, immediatè causam habebunt Archæi alterationem, cū
 ille actionis illius autor naturaliter existat, id quod toto operum
 suorum decursu docet unicè *Helmontius* in Archæi hospitium scil.
 omnem morbum recidere. Confer ejus tract. de *Ideis morbos*. Egre-
 giè præterea ille de *morb. archæal* §. 5. & seqq. hoc explicat, ubi di-
 cit: *necesse est à solo Archæo naturaliter* (dixi enim jam ante naturam
 æquè morborū effectricem esse) *non minus morbum quam sanitatem*
derivari (eò quod omnis motus, & cum eo vita à spiritibus depende-
 at) *ita, ut si per imagines semini impressas sit vita, sit q; sanitas* (partium
 enim corporis *Ideæ*, ut & eorum symmetria, quæ sanitatem dat, præ-
 figuratæ exstant in semine, quas simulacra corporis vocavit *Aristote-*
les; quatenus autem illa evolvuntur ab Archæo seminis cum plena
 vigoratione vita jam præsto est) *per consimiles quoq;, sed præposteras*
Ideas (quas vel ex se concipit Archæus, vel inferunt causæ occasiona-

les, accidunt tamen, ut jam dictum, naturaliter) *fiant Morbi*. Huc usque ille. Elucet hujus doctrinae veritas potissimum in morbis ex animi passionibus, affectionibus, aliisque inclinationibus ac perturbationibus subortis, quae tamen causae, ut frequentes satis, ita non minus validae, violentaeque sunt. In iis autem cum dictae alterationes animi vel sint materialiter spiritus, vel dependeant proximè ab iis, patet facile quivis vitali in hoc principio morborum processus sit. Denique innotescit hoc ipsum ex applicatione medicamentorum, quae tota sua substantia Archæum respiciunt, cum totali morbi ablatione. Egregiè iterum hanc de re laudatus *Helmontius tract. de potestat. medicam. §. 28.* ubi hæc omnia ad hæmorrhagias applicat. *Supponamus, dicit ibi, Archæum irritatum ac furiosum, qui à causis occasionalibus lacesfitus proprium profundit cruorem, facitque dysenteriam &c. Questio est inveniendi remediis ex occulta proprietate. &c.* respondet. *Rerum naturalium symmystæ attenderunt præfatos furores per metum coercendos, adeò ut metus non sit homini, sed Archæo incutiendus. Pavidissimum ergò animal, leporem videlicet occiderunt, non quidem telo, ut inopinà morte occumbat, sed venando, ut per canum morsum intereat, quo vis geminata pavoris imprimatur in ejus totum. Itaque linteam cruentum in sanguine leporis tinxerunt & siccatum asservarunt, idque in vino carptim exhibuerunt, & curata est dysenteria &c.* Atque sic quidem tam in causis quam in curationibus suis, hæmorrhagiæ punctum aliquod commune, ita loquitur *Helmontius*, nactæ sunt in quo convenirent, Archæi scilicet alteratione.

§. 8. Ita se habet proxima hæmorrhagiæ causa, quam seminalem vocavimus. Quomodo verò suscitent eam occasiones *Hippocraticè* sic dictæ, & quænam illæ sint, paulò post explicabimus. Sciendum tamen, non solum archæalem illam, de qua in antecedente §. egimus, esse immediatum efficiens symptomatis nostri, sed ipsius etiam sanguinis in se spectati qualitas, itemque quantitas, hinc sua Symbole conferunt. De quantitate primum! Illam, ubi excedit, Plethoram vocamus, quam quidem vel esse ad vasa, vel ad vires distinguunt communiter; nos tamen solliciti parum de hac distinctione, ad vasa hinc eam intelligimus, quia plethora ad vasa est etià simul ad vires. *vid. Walæi M. M. p. 73.* Hanc & alteram illam (ut *Venesectionem* impugnet eò fortius; ea quippe indicatur unice, docente sic *Horatio Augenio*,
à Ple-

à Plethora, quo cessante indicante cessat indicatum) non existere probare annititur *Helmontius lib. de inauditâ Februm doctrina §. 4. & seqq.* ubi, quemadmodum vires nunquam abundantia, ita nec sanguinem nimietate peccare posse tradit, cum vires vitales, & sanguis sint correlativa. *Et §. 5. & 6.* ex sacris affert, animam sive robur vitale esse in sanguine, hinc ex consequenti nunquam Plethoram esse posse in sanguine bono deducit &c. Quicquid verò eorum sit, vires equidem excedere unquam non facile crediderim, sanguinem tamen abundare posse facile evinci potest. 1. enim ejus æq; ac aliorum humorum ex assumptis fit augmentatio: ergò quoq; æq; ac lymphæ, quam abundare, ruptisq; vasis suis hydropem (habet verò se ille ad modum profluvii sanguinis, seu hæmorrhagiæ) efficere noviter docuit *Bartholinus tract. suo de vas. lymphat.* deficere, vel abundare poterit. Eleganter hoc explicat Excellentiss. *D.D. Hoffmannus* Professor Altorffinus in eruditâ sua dissertatione *de Venesectionis necessitate lib. 29.* ubi concludit: *massam sanguineam* (verba ejus sunt) *in corpore nostro partim ob flammæ vitalis ætivitatem impeditam; partim ob accessionem chyli copiosioris in confluxu ad cor* (viscus hoc cum recentioribus nonnullis sanguinis officinam ponit) *quantitate peccare &c.* Anima verò in sanguine ac robur vitale, quæ objicit *Helmontius*, de classe spiritualium sunt, dum interea sanguis corpore peccat, hæc enim plethora est. 2. Ipsemet sanguis exonerat se sæpius, liberatq; à nimietate, rupto aliquo vase, dum spontè effluit; si verò retineatur non nisi incommoda, lassitudinem, indeq; difficultatem motus &c. graviores etiam morbos, syncopen &c. efficit, quæ omnia pro plethora pugnant satis superq;. Sic ergò excedens copia sanguis dum incumbit graviter vasorum orificiis aperit ea, vel etiam si nimis tenuis sit transfadat, quos effluxus ejus modos in præcedenti §. 3. traditos vide.

§. 9. Fuit *quantitas* sanguinis, sequitur ejus *qualitas*. Et si sanguinis quantitatem vitiosi admixti humores augent, *notâ plethoræ* vocatur. Non hæc quidem ad *qualitatem* spectat, ea enim ipsum sanguinem concernit, non adjuncta ejus; nihilominus cum illa, prout hic quidem spectantur, naturaliter ei adhæreant, eum comitentur, præternaturaliter quoq; sub ejus qualitate considerari possunt. Sunt autem adjuncta illa, ut vocavi, *Bilis & Lympha* à quibus ad proflu-

via concitari sanguinem jam demonstrabimus. Non quidem hęc bi-
 lis spectatur, ac si aliqua constitutiva & essentialis ipsius sanguinis
 pars esset, ut veteres docuerunt; sic enim vel rejicitur penitus, (*vid.*
Schenckii Profess. Jenens. tract. de humorib.) vel aliter explicatur:
 (ita Δ eam esse, seu $\circ\circ$ in sanguine noviter docuit *Willisus in diatr. de*
ferment. part. 2. c. 1. de febr.) sed quatenus ex vesicula sua cum re-
 fluo per Venam cavam sanguine, loco fermenti in ipsum cor influit,
 quod explicatum vide apud celebratissimum Virum *D. D. Sylvium*
in disputat. medic. Atq; ejus quidem rei veritatem evincunt facilè
 celeberrimorum in Leidenfi Academia Medicinæ Professorum, lau-
 dati modo *Sylvii & Dn. D. van Horne* experimenta: quorum ille,
 si arteria epatica insuffletur, in ipsum usq; cavum vesiculæ fellis, fla-
 tum se penetrare expertus est, unde concludit ex puro sanguine (quod
 olim jam docuit *Helmontius tract. de sextupl. digest. §.*) per dictam
 illam arteriam adducto, bilem generari. Hic verò *D. D. van Horne*
 observavit ductum hepaticum biliarium insufflatum liberè per Venam
 cavam in ipsas usq; jugulares flatum admittere, ut si apertæ fuerint
 illæ, fortiter ex iis erumpat; quod experimentum vias monstrare
 annotat, per quas tantillum bilis pro fermento ad elaborationem
 sanguinis cordi adferatur. Sic ergò, si contingat nimium bilis infun-
 di, ac sanguini misceri in corde, præstò jam causa est quæ apertis va-
 forum osculis hæmorrhagiam suscitet, præprimis cum bilis illa lixi-
 vioso sale abundet, quem innuit antipathica, ut *Zvvelferus* vocat,
 ebullitio, (quæ inter acidum aliàs & alkali esse solet) si sc. ei spiritus
 aliquis acidus affundatur. Salia autem, ut mox dicturus sum, cum
 corrodendi vi polleant, lædunt eò magis vasorum tunicas. Alterum
 sanguinis adjunctum (rectè sic vocatur, proximè enim tantum ambit
 eum, unde ejus vehiculum est, $\omicron\chi\eta\mu\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\pi\omicron\phi\eta\varsigma$ vocavit Hippo-
 crates) serum seu lymphæ est, quod ubi peccat, hæmorrhagiæ cau-
 sa evadit. Ejus usum docent recentiores (*vid. Helmont. tract. de la-
 tic. §.*) ut salsas digestionum sordes abstergat, ac sudoretenus edu-
 cat, unde falsus nonnunquam olidusq; fador est. Si itaq; contingat,
 ut Sal illud excrementitium copiosius imbibat latex, contineaturq;
 intra vasa ob constipatos poros, dum cum sanguine fluit, exedit fa-
 cilè vasorum membranas, fluxumq; promovet. Unde procul dubio
 genuina etiam *sudoris cruenti*, cujus *Aristotel. lib. 3. hist. animal. c.*

19. & Galen. l. 3. de causis symptomat. c. 2. nec non Benivenius de
 abdit. morbor. caus. c. 4. meminere, causa provenit; quanquam non
 negem ipsam etiam sanguinis tenuitatem eundem efficere posse. Eā
 verò efficit aquosior latex ac copiosior admixtus, tenuior itemque
 chylus, materia scil. ex quā, ut vocant, atque sic affectus sanguis per
 Ἀγώνιστον in profluvium abit. Ex adverso, si nimis crassus sanguis
 est, atque etiam hæmorrhagiæ causa existit, quatenus mole sua auctus
 orificiis vasorum incumbit, eademque aperit. Ita sanguinem nigrican-
 tem instar picis, crassumque per vomitum quendam ejecisse, cum cre-
 bra animi defectiōne, gravibusque laterum punctiōibus &c. anno-
 tat Rulandus in curat. empiric. p. 184. Crassum verò reddunt sangui-
 nem defectus laticis, acidum infusum quod coagulat &c. de quibus
 in sequentibus pluribus acturus sumus. Denique ipse sanguis proprii sui
 infortunii existit Faber, quando congenito suo sale peccat. Sic enim
 docent Recentiores non fictis humoribus sanguinem constare, sed
 mumiali, seu essentiali sale ex alkaliū genere, quippe qui in destillati-
 one ejus manifestatur. Atque illud quidem, cum ex assumtis genere-
 tur, si ea excedant interno Sale, traduciturque illud copiosè in Sal
 sanguinis, adest jam corrosivum, quod sua acredine vasa aperit. Her-
 metici in fluxibus hisce Sal illud resolvi docent, dum, quicquid Sale,
 seu mumia salis balsamici internā destituitur, necessariò putrescit, sic-
 que per putrefactionem Sal à Sulphure separatum, acrimoniam pro-
 dit, vasaque corrodit. vide *Petræum in Nosolog. diff. 28. §. 31.* itemque
Sennertum lib. 3. prax. p. 333.

§. 10. Proximas causas hæmorrhagiæ vidimus hætenus. An-
 tecedentes sunt variæ, quæ distinguuntur commodè, ut sint vel na-
 turales, vel nonnaturales, vel præternaturales. Ex naturalibus primo
 se offert *Temperamentum*, quod si calidius sit, ac in plethoram ver-
 gens, internam jam mali hujus causam fovet, unde, ut supra Exem-
 pla dedimus, spontaneæ sæpius fiunt eruptiones. Nec credam aliter
 hæreditariā traductione in hæmorrhagias proclivem fieri sobolem,
 cum de temperamento parentum participet ex ipsis eorum semini-
 bus. Illis succedunt *Anni tempora*; ita enim *Hippocrat. sect. 3. aph.*
20. verno tempore *fluxiones sanguinis* frequentiores esse pronunciat:
 liberior enim sub illud tempus facta natura, undiqueque se exonerat,
 unde reliquorum etiam humorum tunc evacuationes succedunt ma-

gis,

gis, ut eodem §. Hippocrates innuit. Fuerunt huc usque naturales, sequuntur *non naturales*, quas ad sex classes communiter referunt Autores, suntque *aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, animi denique pathemata*. Ex illis *aër* primis potissimum excedens qualitatibus hæmorrhagiæ causa existit; unde æstatem ob caloris excessum accusat *Hippocrates*, quanquam & frigus hæmoptoën suscitare scribat. *aph. 23. sect. 5.* confer. *Hollerium in commentar. ad aphorism. bosce*, Ex *cibus* qui boni succi sunt, plethoræ ansam dant, qui verò acrimoniâ ac Sale volatili constant, extimulant sanguinem, & putrescentes faciliè, utpote fructus horarii, vitiosam fermentationem excitant; unde dysentericus fluxus. *Potus* spirituosior, inebriativa sua vi spiritus sanguinis auget miris modis, commovetque; unde à potu vini meracioris hæmorrhagiæ subortæ sunt sæpius, quod exemplis declaratur apud *Forestum l. 13. obs. 12.* In *Motu*, excessus saltando, equitando aliisque validioribus corporis exercitiis ad excretionem commovet sanguinem, vasa aperit, disrumpit &c. è contrario otium nimium, ac deses vita, accumulans sanguinem, ut vasa aggravet, aperiatque; quanquam inde etiam qualitatis vitia contrahat. Idem de vigiliis quoque & somno sentiendum. Potissimum verò animi pathemata sanguinem effundunt. Ex iis *ira* affectuum maximus primatum obtinet. Cum enim immane quantum spiritus ad furorem adigat, ipse furor brevis, non potest non Archæus, quin, quæ data porta, habitaculum suum, sanguinem ejiciat. Sic Scanderbergio in acie constituto, iratoque, è labiis prius erupisse cruorem annotat *Buchholz in Indic. chronol. p. 400.* Sic vulneratum quendam cum hostem suum conspexisset, effusa hæmorrhagia ex ira correptum fuisse, annotat *Fabricius cent. 1. obs. 18.* Irâ mitior affectus *amor* est, cujus validi tamen æque sunt effectus. Juveni cuidam formosæ virgini, quam effictim amavit, assidenti jugularem externam dissiliisse, largo sanguinis fluxu subsequente, refert *Horstius*. Tale Exemplum habet etiam *Matthias Cornax lib. 1. consult. medic. c. 3.* Ejus verò nulla alia causa est, quam quod non ad furorem æque tumultusque sanguinè adigat, amor, ut fiat furor, intendat tamen eundem validè, ut tacito quasi impulsu ejiciatur nonnunquam; unde ex amore insania sæpe seu furor superveniens, procedit. Præter hos *mærorem* etiam ac *tristitiam* *Epiphanius Ferdinandus*; nimias item curas *Mercurial. consult.*

sult. tom. 4. conf. 1. hæmorrhagiarum causas ponunt; quatenus scilicet illæ coagulationi sanguinis ansam præbent, unde grumi ejus vasis incumbunt, eaq; aperiunt. Super sunt ex hæc rerum non naturalium classe *Excreta & retenta*. De illis verò in antecedentibus dicta nonnulla sunt, suppressos scilicet fluxus hæmorrhoidum, menstruorum &c. hæmorrhagias narium, vomitus sanguinis profusissimos &c. suscitasse. De quibus prolixius consuli possunt Autores.

§. II. Restat, ut de antecedentibus causis præter naturalibus agamus. Inter eas primum locum obtinet *acidum*, primo loco non immeritò positum inter morborum causas ab *Hippocrate*. Quemadmodum verò illud extra stomachum juxta *Helmontium* omnibus partibus, ita sanguini quoq; hostile est. De quo laudatus ille *Autor. tract. de pleur. furent. §. 14.* dicit: *Si Archeus in cruoris gremium leviculam sibi sinistro applicatam aciditatem deposuit, statim extravenatur, ejicitur scilicet è venis spreta aciditas cum sanguine &c. & paulò post, cruor acescens &c. coagulatur;* alibi autem internas hæmorrhagias hinc oriri statuit. Ad eundem modum res aliæ etiam acres &c. sanguinem profundunt, ut *Salia caustica corrosiva*, ita serum scorbuticorum salsum, sæpius hæmorrhagias narium concitasse habet *Exempla Sennertus*; *Calculi* item in renibus, dum vasa exedunt, mictum cruentum efficiunt. *Acres humores* erodentes intestinorum tunicas dysenteriam efficiunt, prout sputum falsum hæmoptysin parit. Sic ex purgantibus vehementiora alia Θ ium suorum causticorum ope ex mesaraicis ejiciunt sanguinem; alia resinositate sua, qualia *Scammoniata* sunt, incautè adhibita, tenacitè adhærent, exstimulando nimium eliciunt cruorem; alia colliquesactiva putrefactione, vitiosam suscitando fermentationem, eundem exhauriunt, quod *Esulæ, Colocynthidi*, adscribit *Helmontius*. Quantò verò fortius mitioribus hisce agunt manifesta venena, qualia, quæ hæmorrhagiæ causæ sunt validissima, recenset *Plinius*, hæmorrhoum animal, ejusq; nominis plantam, quæ undiquaq; sanguinis profluvia causantur; & illud quidem non tantum per vulnus à se inflictum, ac consuetas vias, sed insuetam etiam loca, oculorum canthos, ungvium radices, poros cutis, etiam cicatrices, expellit. Ita *Cantharides* ex vesica eliciunt sanguinem: quo cum effectu lepus marinus pulmones exedit. De quorù omnium causis egregiè disserit *D. Marcus Marci in philos. vet. resti-*

C

117,

cut. p. 4. sect. 3. ad quem brevitatis causa Lectorem remittimus. Re-
 ferunt huc nonnulli contagium, sed supra dictum, non æq; ex semi-
 nio aliquo interno, (tale autem contagium transfert) suboriuntur hæ-
 morrhagiæ, nisi alius morbus easdem suscitet, prout de scorbutico
 De ichoroso hoc annotatum est: unde non rarò scorbutici illius cõ-
 tagii miasmata gingivarum cruentationes suscitarunt protinus. Hæ-
 morrhagiæ autem violentæ potissimum causæ sunt, mera tamen Ar-
 chei eam efficit *ἐξ ἀέθρωσις*. Præferri itaq; debent suppressiones &
 obstructions, foecundæ etiam hæmorrhagiarum genitrices. De iis
 autem in antecedenti §. actum est, hic saltem spectantur quatenus
 obstructions alibi extra loca excretionum naturalia hærent, sicq; ve
 obstructa hepatis vasa, vel etiam mesaraica hepaticum sæpe numero
 fluxum concitant &c. Multi deniq; alii morbi sunt hæmorrhagiæ
 occasiones. Semen vitiosum virulenta in gonorrhœa, copiosum haud
 rarò sanguinem elicit, nimius sternutationis motus hæmorrhagiam
 excitat; vomitus nimii rumpunt vas aliquod in pulmonibus, unde
 sputum sanguinis, attractiones validæ non minus aperiunt vasa; ita
 à nimio ꝑis usu, itemq; post lac copiosè effluxisse sanguinem innu-
 meræ loquuntur observationes. Atq; his doctrinam de causis clau-
 dimus.

§. 12. Differentias Hæmorrhagiæ benè multas enumerant Au-
 tores. Potissima earum distinctio est in criticam & symptomaticam;
 quam supra §. 3. exposuimus. Reliquæ desumuntur à subiecto ipso
 scil. sanguine. Is si purus sit, hæmorrhagiæ pura audit, si vitiosis aliis
 scateat humoribus, notha vocatur: si vel parcius vel copiosius efflu-
 at, major vel minor erit hæmorrhagiæ; sic alia etiam ex venis, alia
 ex arteriis, procedit. Quæ tamen ultimæ differentiæ merè acciden-
 tales, & vix ullam in curatione pariunt indicationem. Malè autem
 distinguuntur ex causis hæmorrhagiæ, quo vel ab anastomosi vel dia-
 pedesi &c. sint, cum, ut dictum in superioribus hî potius hæmorrha-
 giarum effectus sunt. Genuinas verò causas explicavimus hætenus,
 secundum quas facile quivis colliget sibi metipsi differentias; Quas
 vero Hæmorrhagiæ species & distincta nomina pariant diversa ex-
 cretionum loca, supra jam §. 1. recensuimus, ut de iis hic aliquid ad-
 dere supervacaneum videatur, nisi, quod factum etiam ab aliis esse vi-
 deo, quædam de earum causis admiscere velimus. Sunt ergò Hæ-
 morrha-

morrhagiæ aliæ *internæ*, dum in corporis recessibus extravasatur sanguis, & coagulatur, atq; sic sæpius comprimendo vasa etiam lymphatica, ut Bartholinus docet, Hydropem efficit, vel etiam virulentum fermentum concipit, ut est apud *Helmont. cit. tract. de pleura furente*; alibi obstructions & scirrhos parit. Inter *externas* absolutè sic dictæ hæmorrhagiæ vel per nares erumpunt, vel ex ipsis narium venis, arteriisvè, vel è venis arteriisve cerebri, à tertio crassæ menyn-
gis sinu prodeuntibus; utpote quibus apertis periculosas hæmorrhagias insequutas fuisse annotat *Baubinus in theat. anatom. lib. 3. c. 8.* Per *Os* in sputo sanguinis disruptum vas aliquod effundit sanguinem, atqve is vel purus est, vel sputo miscetur crasso aut foetente, dum serum acre cum sanguine adductum mollissimum Pulmomum parenchyma erodit. In Vomitu autem sanguinis, vel ex ipsis ventriculi vasis, vel ex proximè adjacente Liene effluit ille. *Hæmorrhoidalis* fluxus vel ex internis vel externis vasis procedit, & vel statò tempore fluit, vel inordinatè, confer *Sennert. nostr. prax. lib. 3. part. 2. sect. 2. c. 13.* *Alvi Dejectiones* sinceræ rarò sunt, Dysenteria etiam cruorem eliminat. Atq; hic unus alvi fluxus est. Alterum hepaticum vocavimus, cujus brevem descriptionem huc facientem, vide apud *Jonstonium in Idea lib. 10. p. m. 583.* ubi hepaticum à sanguineo distingvit, ut tres ergò fluxus hujus alvi differentia sint. *Uteri Hæmorrhagiæ* vel sunt ordinariæ, ut in Mensibus, vel extraordinariæ: ita Venæ & arteriæ ex cervice Uteri sæpius sanguinem effundunt; prout in Gravidis eam subsequutam fuisse sæpius, quo se illæ ab abortu immunes reddiderunt, annotat *Sennert. l. 4. p. 2. sect. 5. c. 5.* *Sanguinis miçtus* vel purus est, quo modo rupto aliquo vase vel in renibus vel reliquo in corpore effluit hâc viâ, vel impurus, purulentus scil. ab eroso Parenchymate. Particulares hæ Hæmorrhagiæ fuerunt. Universalem vocat *Plempius* dum sudoretenus effluit sanguis, cujus causa spontanea est ejus resolutio intentata saltem, ubi enim in sudorem fatiscit, morbi jam colliqvativi adsunt. An autem præter criticam quædam hæmorrhagia salutaris sit, dubitatur, ut plurimum enim totalem evacuationem intendit. Hæ differentia sunt.

§. 13. Sequitur Signorum tractatio. Ea sunt vel *Diagnostica*, vel *Prognostica*. De Diagnostica pauca dicenda sunt, in sensus enim incurrunt, ex quâ item parte fiant, hæmorrhagiæ. Et critica primò

quidem signa sunt: symptomatum graviorum remissio, tolerantia ægri, siq; coctionis signis presentibus, die quoq; critico, solutio illa incidat. Symptomata verò indicia habet, symptomatum indies ingravescentiam, virium subitanam prostrationem, manifestam actionum læsionem &c. Ratione Subjecti, sanguinem arteriosum rupto suo vase effluere innuit, si ille tenuior, rubicundior ac spirituosior sit, cum impetu etiam profiliat, viresq; citius dejiciantur. Si verò vena rupta fuerit, crassior sanguis est, nec effluit adeò impetuosè. Ratione causarum, si iasiti Spiritus exarthrosis hæmorrhagiæ causa extiterit, fluit continuò sanguis cum impetu ac virium insigni prostratione, febris adest nonnunquam ab aucto per furorem illum Archei calore. Causæ acres antecedentes, saliumq; fluores caustici, produnt sese vellicatione ac dolore, ipse etiam sanguis nimium falsus factus est, cumq; acredo illa Θ is non tantum in sanguine latitet, sed etiam seroso humore, serosus quoq; tunc sanguis effluit. Si à Plethora, malum est, sine dolore sanguis fluit, subinde etiam sistitur, fitq; cum aliquali sublevatione, nisi instet fluxus. In diapedesi, paucus sanguis, & guttatim permeat tunicas vasorum, unde sudoretenus etiam effluit &c. Ratione specierum, Hæmorrhagia narium, si ex eorum vasis effluat, nullus præcessit capitis dolor; secus se habet si à vasis cerebri ortum ducat. In Hæmoptoë si ex ipsis oris partibus fluat sanguis ille, simplex exspuitio adest; gingivarum corrosio in conspectum venit, si verò ex pulmonibus rejiciatur, tussis adest; foetidum etiam haud rarò sputum est; Sanguis ipse spumofus floridus apparet, ut docet *Hippocrates sect. 5. aph. 32*. Vomitus sanguinis dolor gravativus in Ventriculo indicat; à Liene autem procedere nigredo, in eo à congrumato sanguine, sæpè etiam post quartanam rejecta cum eo laticis copia, quod Practicorum observationes testantur, signa sunt. Alvi fluxus cognosci facile possunt. In Dysenteria tamen carunculæ sæpè simul effluunt, cum insigni virium imbecillitate ac dolore; in fluxu hepatico loturæ carniū similis apparet sanguis. Ex Hæmorrhoidibus nigrior ut plurimum sanguis profluit, an autem internæ vel externæ apertæ sint præternaturalitèr, præcedens dolor in externis vel internis te docebit. In Mictu sanguinis si simul purulenta materia effluat, indicium est læsum esse ipsum renum parenchyma, si verò purus sanguis profluat, ruptū esse

esse

esse vas aliquod indicat. An verò in renibus aut remotiori aliqua in parte solutio illa facta fuerit, causæ antecedentes dabunt. Uteri deniq; Hæmorrhagiam præcedunt Mensium obstructio, inappetentia, Cachexia, animi Deliquia &c. quæ insequens sanguinis profluvium ex utero esse commonstrant. Hæc Signa Diagnostica sunt.

§. 14. *Prognostica Signa juxta Hippocrat. aph. 51. sect. 2. & 25. sect. 2.* ut omnem evacuationem, fluorem immodicum, ita sanguinis quoq; profluvia plurimum nocere, intendunt. Propter ingentem enim spirituum jacturam, partium robur vehementer debilitatur, unde Cachexia, hydrops, Hippocratica facies, & ut in antecedentibus dictum, ἀθρόως factæ illæ hæmorrhagiæ mortem intendunt, effluente ipsâ animâ unâ cum sanguine. Unde si in fluxu extrema frigeant, siq; facies plumbea appareat, signû θανάσιμον est. Quantum autem sanguinis excerni possit, dissentiunt Autores, ad ℥. 4. fluxum sanguinis malum, ultra 8. pessimum, ad 20. ℥ lethalem pronuntiat *Valesius*. Nonnullis tamen ℥as 18. 20. imò 40. effluxisse testantur observationes, sed hoc, ut *Averrhoes* loquitur, monstro simile est, & non nisi robori Naturæ acceptum ferendum. Ratione causarum orta ab Archei furore Hæmorrhagia pessima est; neq; enim tam facilè sopitur, ἐξάθρωσις illa, præprimis si ab interna causa occasionali laceffatur continuo; quæ verò à plethora oritur non adeò mala judicatur, ruptæ enim anastomoses facilè coeunt, quomodo observatum sæpius naturam sanguinem fluere consuetum, si suis locis suppressus fuerit, per alia evacuasse, eorum osculis post fluxum se mox cludentibus; unde *Hippocrates sect. 5. aph. 33.* Mulieri mensibus deficientibus sanguinem per nares effluentem, bonum pronuntiat. Διαπήδησις quoq; omnium curatu facillima habetur, cum è contrario ῥήξις omnium periculosissima est, quippe quæ, ceu susceptum, mortem minitatur proximè, ut loquitur *Helmontius tract. de susceptis*. In specie Narium hæmorrhagiam quod concernit, ea ut plurimum morbos alios solvit, ut est apud *Hippocrat. sect. 6. aph. 10. sect. 4. aph. 60.* Præter hæc verò si sanguis ἀνάπαλιw è naribus fluit, malum est *Hippocrat. in Coacis*. Intelligit autem Senex hic fluxum è diverso seu contradirectum, ut si hepate laborante è nare sinistra sanguis fluat, confer *Galenum lib. de curat. p. 5. M. c. 15. & 16.* Diebus criticis ex αἰμορραγία πειψυξις, perfrigeratio magna pessimum est

est juxta *Hippocrat. cit. loc.* fit enim à nimio per crisin fluente sanguine, ut hoc explicat in comm. *Duretus*. His addit etiam *Hippocrates cit. loc.* substilla sanguinis, si bis fiant aut redeant, mala esse, suppressam verò violenter hæmorrhagiam Spasmodum parere, quorum tamen explicationem brevitatis causa hic omittimus. Quoad sanguinis sputum, omnes ejus per superiora vomitum malum judicat idem *Hippocrat. sect. 4. aph. 25.* rationes vide apud *Hollerium in comment. ad hunc aphorism.* Sanguinis putridi rejectio periculosa secundum *Hippocrat. sect. 7. aph. 15.* corruptionem enim substantiæ pulmonum intimat; absq; febre non adeò periculosa hæc hæmorrhagia est, quàm cum febre, ut *cit. sect. aph. 57.* habet idem *Hippocrat.* Obæsis ac plethoricis cor opprimit sæpè extravasatus hic sanguis, ac synopen inducit de quo *vid. Lang. lib. 1. Epist. 40.* Quoad fluxus alvi in Dysenteria, si carunculæ dejiciantur lethale est *Hippocr. l. 4. aph. 26.* magnam exulcerationem enim denotat; mors autem nunc citius septimana prima vel secunda, nunc tardius tertia scil. supervenire solet, si dysenteria sit lethalis, inquit *Sennertus lib. 3. prax. p. 343.* Fluxus hepaticus ad Cachexiam & Hydropem ducit secundum *Hippocratem & Galenum l. 2. progn. text. 77. & seqq.* si autem hepaticis sputum est cruentum, & meracum, lethale censet *Hippocrat. 6. coac. text. 21.* causas vide apud *Sennert. cit. lib. p. 405.* Quoad hæmorrhoides ab externis, qui à vena cava rami sunt, majores sanguinis profusiones sunt, quam ab internis. Cæterum fluxus hicce satis periculosus est, ob exquisitum doloris sensum, & partium vicinarum inflammationem, sed & multum commodi adducit, præprimis internorum vasorum quorum adeò periculosus fluxus non est, cum solvat sæpè latentes morbos, de quo consuli potest *Fabricius Hildanus lib. de tuend. valetud. p. 645.* itemq; *Sennert. cit. lib. 3. sect. 2. c. 13.* In mictu sanguinis, si malum inveteratum est, contabescit facile æger, vel epatis calore debilitato, in Cachexiam & hydropem incidit. Grumi etiam sanguinis exinde Urinæ suppressionem inducunt. Deniq; de Uteri Hæmorrhagiâ notandum, eam multorum morborum causam esse juxta *Hippocrat. sect. 5. aph. 57.* præprimis periculosa illa est, si convulsiones, animi deliquia, aliaq; gravia symptomata superveniant, juxta eundem *ead. sect. aph. anteced.* in corporibus plethoricis non adeò malus hic fluxus est, imò à plurimis morbis sæpè liberat, ut hæmoptysi, sterili-

sterilitate, uteri suffocatione. &c. Sed hæc de Prognosi etiam dicta sufficiant.

§. 15. Curatio, quamvis ex triplice fonte chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico, morbi auxilia petat, hic tamen secundum causas suas ordine considerari potest. Primitus verò impetuosè effluens sanguis per externa objecta inhiberi debet: ut enim in antecedentibus dictum, mortis imminet discrimina sub largo illo fluxu: nec obstat, quod curatio hæc tantum à posteriori sit, & causam hæmorrhagiæ non respiciat. Hæc verò externa, ut vocamus, objecta, quæ cohibent protinus sanguinem, indistinctè *adstringentia* vocantur, quæ etiam internè adhiberi possunt. Non tamen hæc omnia unâ eademq; facultate agunt: alia enim suâ tantum tenacitate vasorum vulnera, & oscula constipant: alia ratione acidi, alkali in sanguine coagulant, constringuntq; utroq; modo cohibetur fluxus. Adstringentium horum ingens est numerus. Ex iis tamen offerunt se primò, quæ externè objecta fluxus sistunt, quæ sunt quæ, ut dictum, tenacitate, ac visciditate suâ constipant. Suntq; emplastica omnia sic dicta, seu styptica, qualia conficiuntur ex corticibus granatorum, mastiche, Sandaracha arab. olibano, sanguine draconis &c. ex quibus elegans emplastrum aliquod stypticum habet *Mynsicht in armament. sect. 36. p. m. 507.* in Franconia observasse me memini, scriniarios ramentis ligneis glutinæ obductis vulnera sibi satis magna ligasse & sanguinem cohibuisse. Præ reliquis fuligo etiam constringendi singularitè vim habet. Applicatam eam vidi ex fundo vasorum, quæ in culina usurpantur, vel etiam ex fornace, cum albumine ovi impastatam, ac linteolo inunctam, unde ingens fluxus protinus cohibitus fuit. Sequens experimentum habet *Stoeckerus*: papaver contusum cum vitello ovi & frixū in cineribus externè applicatū, fluxum stringit. Hæc prioris generis adstringentia sunt: sequuntur quæ ratione acidi coagulando alkali constringunt. Et hæc potissimum \oplus lata sunt: quæle sequens est omnium optimum ad venarum & arteriarum dissectarū hæmorrhagias. Colcothar \oplus i ad $\frac{3}{8}$ ss. cū croco \mathcal{O} is adstringente & fortissimo miscetur, eoq; madefiunt linteæ cum fungis ∇ estribus, sicque applicantur: post cujus repetitum usum pulchræ cicatrices inducuntur. Ita non minus cum \ominus li adstringentia varia confici possunt: Celebratissimo *Prædotio* liquor stypticus in usu est

est, qui fit dum Terræ bolari affunditur ~ ille ☉ li, unde statim coagulatur, ac deinde in cella per deliquium solvitur in flavum liquorē qui color bolo tribuendus venit, constrictivum non inelegans omnis fluxus. Alia & potiora ex ☉ lo occurrunt apud alios: *Pet. Johann. Faber in curat. suis* Terram ☉ li exanimatam commendat: est autem ea ☉ li à ☉ suo liberatum, quod supellectilem multorum medicamentorum continet. Hoc basis est Ungventi vulnerarii *Felicis Würstensis* insignis chirurgi; excoquitur scil. cum ☉ lini, quo ipso ☉ ejus, in quo adstrictoria vis consistit, extrahitur, quemadmodum alias ☉ sa, & alkalia quoq;, ratione pinguedinis suæ ☉ ea dissolvere solent. Ex hoc ipso ☉ re Tincturā suam ☉ is ☉ li, quam proinde ita etiam vocat, conficit *Magnif. D. D. Michaëlis*, Chymiater celebratissimus Patronus ac Præceptor honoratissimus. Extrahit scil. Terrā illam cum appropriato aliquo ~ ☉ is composito, hunc iterum abstrahit, & cū S. V. d. nuò extrahit, sicq; præparata est Tinctura illa. Horum omnium usus externus est, ut inuncta, vel gossypio aliquot guttulis excepta, venæ, ex qua fluit sanguis, applicentur. Ita vidi laudatam illam Tincturā *D. D. Michaëlis* largissimum ab evulso dente fluxū semel tantum applicatū cohibuisse. Agunt autem hæc omnia, ut jam dictum, quatenus acidum in hisce occultum alkali in sanguine destruit præcipitatq;, prout videmus ~ m quemcunque acidum in apertam venam sanguini calenti instillatum, eundem præcipitare & coagulare.

§. 16. Huc usque externa fuerunt, quæ instante necessitate primū veniunt in usum. Dixi autem internè quoq; ea adhiberi posse, unde in omnibus hæmorrhagiis non nisi adstringentium usus communiter commendatur ab Autoribus. Ingens verò eorum varietas est, ex quibus nonnulla saltem experimenta annotare lubet. Radix Symphyti in lacte chalybeato decocta: ▽ bursa pastoris cum spongia cynosbati ad 31 decoctum oryzae in lacte cum ovorum vitellis & succo hederæ terrestris: stercus asininū cum musco quercus vel rectius cum usnea in forma pulveris: cortices granatorū cum flor. balauſt. & Terra sigillata &c. in omnibus hæmorrhagiis conveniunt. Ex compositis commendantur Sperniola Croll: species diaꝝis Mynsichti: ejusdem confectio styptica, decoctum adstringens &c. Syrupus de Symphyto Fernelii, qui præcipuum hæc in parte officinale

nale

nale est. Nonnunquam deveniendum etiam ad opiata; Laudanum opiatum, pulv. anodynum Magnif. D. Michaëlis, &c. De semine hyoscyami non uno modo observatum, quod hæmoptysi singulariter profuerit. Eodem jure spectant huc acida illa, quorum in antecedente §. mentio facta est. Ad sistendum enim fluxum dysentericū, liquorem suum stypticum præcipuè commendat laudatus Prævotius, & in omnibus fluxibus Magnif. Dn. D. Michaëlis, ut plurimum cum ℞ Mastiches Tincturam suam propinat. Ita ℞ Oli quoq; ad aliqualem saltem aciditatem cum clysteribus permixtum, Dysenteriam sanasse, annotat D. D. Lang. B. M. in Manuscripto comment. ad Fabri pathol. c. 5. §. 8. De his omnibus autem jam demonstratum esse arbitror, agere ea posteriori tantum adstrictoria sua facultate. Neque enim vel insiti spiritus concitationem, vel alias etiam qualitates sanguinis peccantes, quæ proximæ causæ sunt hæmorrhagiæ, respiciunt, sed earum saltem effectum. Sufficiat interea quod in curatione voto nonnunquam respondeant. Idem quoque de refrigerantibus externè in hæmorrhagiis applicatis, sentiendum est: e. gr. lamina plumbea testibus applicata: linteum madefactum in ∇ frigida & collo circumligatum. Aliud item acerrimo Acet. imbutum, vel Acet. etiam auribus instillatum in hæmorrhagia narium: frigida item aliquot guttulæ vertici instillatæ, & quæ ejusmodi alia sunt, (de quibus à *Petrao* rectè annotatur, quod fronti simul & testiculis in viris, in Mulieribus verò manibus debeant applicari,) agunt saltem, quatenus ipsum sanguinem refrigerant. Calor autem in sanguine hæmorrhagiæ causam non est, quin potius alterius causæ productum v. g. dum in ἐξαρρώσει nimis effervescit, vel etiam propter admixta peregrina accenditur quasi, inde subsequenter demum oritur calor. Nec proinde in curatione ad ipsum calorem habetur respectus, sed ad causam, cujus ille effectus est. Negari tamen non potest, à nimio e. gr. \odot æstu vel etiam nimio motu, in saltationibus &c. inductam calidam saltem ἀλγέθειν leve aliquot profluvium excitare. Et tunc externa illa topica refrigerantia (ac inter ea ∇ potissimum spermatis ranarum cum + rosaceo, quod in collegio suo privato, ceu insigne remedium, commendat D. D. Michaëlis)

D

lis)

lis.) indicationis lege veniunt in usus, quos etiam evidenter præstant. Atq; sic etiam magni cujusdam Germaniæ Principis experimentum, quo ex foliis Cerasorum acidorum coronam capiti suo applicari jusfit in hæmorrhagia narium, eadem qualitate agere videtur. Hæc autem topica cur mammis & testiculis applicentur, quæri posset? Qui verò consensum testiculorum cum toto corpore, unde exfectis iis temperamenti mutatio evenire solet, considerabit, id quod etiam de mammis comprobat Hippocrates, facile sibi metipso respondebit. Nobis, prolixius hæc explicare, institutio ratio non permittit.

§. 17. Dixi autem in antecedentibus, præcipuam hæmorrhagiæ causam in alteratione, & furore insiti ejus spiritus consistere, atq; adeo eam etiam respicit propius curatio. Ut verò furor ille compescatur, requiruntur medicamenta, quæ per contrarias Ideas agunt (dotata & appropriata vocat *Helmontius*) vel etiam sympatheticè. Prioris generis remedia ut tradam, repetam hic quæ superius §. 7. ex *Helmontio* adduxi, quomodo sangvinem leporis rerum naturalium mystæ ad sedandos furores in dysenterico fluxu adhibuerint. Nullum scil. dubium est, Leporem, ceu timidissimum animal, sangvini pavoris ideas imprimere, illæ verò cum concitatum furorem, ejusq; ideas in sangvine, quas profluvia proximè concitare *cit. antea loco* probavimus, per modum contrarietatis sedent, ac eliminant, genuina quoq; remedia dabunt. Fidem porrò faciunt Exempla, quæ hoc modo à sangvine leporis dysentericos fluxus cohibitos fuisse demonstrant. In nupero Bello Germano Svecico integri Exercitus Dysenteriâ epidemicâ correpti, hoc se restituerunt remedii genere, &, quod mirum est, solum linteolum hoc leporis cruore madefactum cerevisiâ infuderunt, quâ epotâ restituti sunt. In proximo etiam Svecico Polonico Bello, cum Exercitus sub Duce Würtembergico à nimio fructuum, prunorum scil. esu in dysentericos fluxus incidisset, leporinam saltem carnem exsiccatam (quæ æque ac sangvis, utpote ex quo constant, partes impressas recipit pavoris Ideas) sexcentis salutare remedium extitisse novi. Ut autem sangvinem hunc leporis debitè tibi acquiras, attendendum est, leporem inter vertagos constitu-

constitutum ac trementem à timore, vivum adhuc suspendi debe-
 re, sic sanguis copiosius retrocedit ad cor, quo facto, Thorax ape-
 riatur, & ex corde excipiatur sanguis vase aliquo, vel etiam lin-
 teolis; memini enim me aliquando leporis jugulares discidisse,
 cultrum etiam in ipsum cor ejus adegisse, vix quidquam tamen
 sanguinis obtinuisse, adeò à timore & tremore ad interiora com-
 pellitur sanguis, imò concrevit. Dosis hujus sanguinis torrefacti
 & pulverisati est $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ ad \mathfrak{z} in ∇ aliqua appropriata. Præ lepore ta-
 men hoc in affectu validius remedium videtur præbere Bufo, pro-
 pter geminatam terroris Ideam, de qua *Helmontius tract. de Peste*
p. 76. & seqq. asserit; quod animal hocce odium in hominem ge-
 rat; viso autem eo terrorem immensum concipiat, & per omnes
 partes odii illius Ideam servet, cujus immanitatem per mortem
 ejus inopinam ulterius comprobatur. Non mirum itaq; Bufonem
 pulverisatum solo contactu Hæmorrhagias sistere, ita ut corpori
 nostro admotus, si incalescat, ceu Gorgonis conspecto capite, sta-
 tim rigescat sanguis, quod testatur *Finckius in Enchirid. Dogmat.*
hermet. p. 56. Modus autem applicandi hic est: Bufo in conspectu
 hominis, ut eo magis, docente sic laudato antea Helmontio, con-
 cipiat geminati terroris Ideas, emortuus ad \odot exsiccat & pulve-
 risatur, postea in sindone rubra axillis suppositus, vel manibus
 detentus, quietem sanguini inducit. Hic tutus ejus usus est. Nunc
 sequuntur sympathetica remedia. Inter ea præcipuum est Pulvis
 sympatheticus \oplus li. Hoc ipso applicato sputum sanguinis, & ul-
 cera renum, ac mictionem purulentam se sæpius cohibuisse testatus
 nobis est in privato Collegio Magnif. D. D. Michaëlis, nec alia
 defunt Exempla; quæ brevitatis causa omitto. Quæritur autem,
 quâ facultate pulvis hic agat? Aliorum opiniones, atomos *Digbæi*
 &c. prætereo, verior autem videtur sententia eorum, qui statuunt
 Archeum seu spiritum in sanguine effuso à vi adstrictoria & potis-
 simum anodyna \oplus li (est autem in \oplus lo summum anodynum
 quod egregio exemplo & experimento declarat *Marcus Marci in*
philosoph. veter. restitut. p. 5. p. 552.) affici. Cum eo symbolizat in
 sanguine reliquo corporis Archeus, & consimili hoc in casu qua-
 litate dotatur, unde fluxus ejus sistitur; quod ipsum pluribus ratio-

nibus & experimentis explicatum vide apud laudat. modò *Marc.*
Marci antecedentibus proximè loci dicti paginis, & potissimum
 apud *Helmont. tract. de magnetica Vulnerum curatione*. Præpara-
 tur autem dictus ille pulvis sympatheticus ex solo \ominus lo leniter il-
 lud ad \ominus calcinando, ut fiat pulvis; efficacior autem erit, si aliquan-
 diu digeratur, sic enim latens in eo verum, ut vocat *D. Marcus Mar-*
ci, *Nepenthes*, excellenter *Archeum pacans*, magis magisq; exci-
 tatur, ut cit. loc. demonstrat Auctor laudatus. Sic se habet præpa-
 ratio pulveris hujus; applicatio in eo consistit, ut fluens ex quo-
 cunq; loco sanguis scatula aliqua pulvere hoc repleta excipiat, sic enim sympatheticæ effectus operationis procedet. Ex eodem
 fundamento *Dysenterici* qui supra *Colcothar* alvum expedive-
 rant, restituti sæpius sunt. Ad hunc planè modum sympatheticè
 etiam agit ipse sanguis, qui in hæmorrhagiis effluit. Ejus verò ap-
 plicatio hæc est. *Rec* pannum lineum novum, imbue illum sanguine
 profluente, & in Ignè projice, prout comburitur, ita sedatur fluxus.
 Ita sanguinem talem in patella ustum & pulverisatum vinoq; pro-
 pinatum præsens esse remedium expertus est *Sanchetz. observ. in*
prax. p. 368. & in hæmorrhagia narium sanguinem exsiccatum in
 fornace, & naribus insufflatū, vel etiam cum fuligine in forma pes-
 sarii adhibitum, fluxum cohibuisse observatum non semel est. Suc-
 cedit quoq; Experimentum hocce, si sanguini calenti linteolo ex-
 cepto tantillum \ominus is inspergatur, aut etiam linteolum illud \circ \circ oli-
 varum immergatur. Agunt hæc omnia, quatenus sanguinis \sim
 adustus ab Δ e vel etiam à \ominus e, ceu acido, adstrictus, aut ab \circ \circ ano-
 dyna vi pacatus vim illam mumialem communicat cum \sim reli-
 qui sanguinis; nec opus est, ut sanguis ipse, quod fecit *Sanchetz*,
 propinetur, prout etiam naribus instillatur, ut instar conglutinan-
 tis alicujus sit, insuper quod visciditate sua (hinc Fuligo in supe-
 riore Experimento additur) inhibeat sanguinem. Et hæc potissi-
 ma Hæmorrhagiæ curatio est.

§. 17. Quæ reliquæ sunt hæmorrhagiarum causæ, suas etiam
 curationes requirunt. Sic cum Plethora sanguinem ad proflu-
 via adigat sæpius, ei chirurgico V. Sectionis remedio succurrèdum
 est. Et hoc quidem præsidium vel ad præservationem, vel ad cu-
 rationem

rationem commendatur, statis scil. temporibus, qui in Plethoram
 sunt proclives, venam aperiant, ne accumulatus intra vasa sangvis
 ea disrumpat. In curatione verò adhibetur, vel quando suppressis
 ordinariis viis per inconsueta loca fluit sangvis, prout supra exem-
 plum dedimus, menstrua per os reddita, sectione salvatellæ restituta
 fuisse: vel quando aliàs symptomaticè & *abegus* sangvis effluit:
 Ita hæmorrhagia narium sectione medianæ brachii dextri, nimi-
 us mensium fluxus incisa vena Tali, fuit revocatus. Hæc omnia
 autem fiunt saltem revulsionis gratia, quemadmodum propterea
 in internis etiam Hæmorrhagiis V. sectionem admittit juratus aliàs
 ejus hostis *Helmontius*, quo recipiatur sangvis in vasa. Observan-
 dum autem venit, 1. in casu à furore spiritus seu Archei, non ad-
 mitti posse V. Sectionem, plus enim detrimenti adferret, & Δ Δi
 adderetur. 2. valet autem quando relaxata sunt oscula vasorum,
 aut etiam à calida Intemperie suscitatur sangvis, sic enim refrige-
 ratur. 3. Pauxillum saltem sangvinis elici debet, utpote cujus in
 hæmorrhagiis sat magna jactura facta est. 4. Quemadmodum
 extra casum præservationis rarò venit in usum, ita aliàs non nisi
 debitè aliis adhibitis medicamentis adhiberi debet. Porrò ut alia-
 rum Hæmorrhagiæ causarum habeatur respectus in hac curatione,
 cum §. 9. dictum sit, Bilem nimiam, vel etiam nimis acre ac falsum
 ferum, suscitare hæmorrhagias, illis quoq; resistendum est. Quodq;
 bilem concernit, licet concederem evacuari ejus copiam per sic
 dicta cholagoga vel in genere etiam purgantia, ea tamen locum
 hic vix habebunt, ob insignem virium debilitatem, quæ comita-
 tur Hæmorrhagias. Adeoq; cum bilis natura sua lixiviali ⊖ e con-
 stat, (quod experiri quivis poterit, si calidæ ei adhuc guttas acidî
 alicujus ~ instillaverit, & præcipationem inde fieri, quæ aliàs
 acidî & alkali contrarietas est, animadvertet) eo ipso etiam ob
 copiam ejus excedente, æq; ac nimium ⊖ excrementitium in La-
 tice aperiantur vasa, corrigi poterunt hæc bilis seri q; vitia per con-
 traria illa acida, quæ in §. 10. prolixè descripsimus, ut hinc quoq;
 pateat, qua ratione ab iis adstrictio in corpore fiat. Ex adverso
 cum de causis antecedentibus dictum, quod sangvinem vasis eji-
 cere valeat acidum instillatum (vid. §. 11.) valebunt in hoc casu

alkalia, ad sudorem præscripta, ut coagula, grumosq; extravasati sanguinis discutiant. Sed cum ab hac causa extravasetur quidem sanguis in hæmorrhagiis internis, sed & coaguletur, in impetuosos fluxus non æq; concitabitur, nec proinde hæc curatio adeò hic in usum venit. Potior E. causarum respectus est, quando obstructions ab aliis humoribus, sanguinis fluxus excitant: de quibus cit. antea §. actum est. In iis verò quoad curationem in usum vocantur Aperientia, e.g. hepatica; &c. de quibus tamen omnibus consuli possunt practici Autores, nobis enim hac de re prolixè agere non vacat. Specialiter, si suppressi alicubi fluxus ordinarii per alia loca redduntur, specialia aperientia e. gr. Menses cientia &c. veniunt in usum. Et hæc de Curatione Hæmorrhagiæ in genere dicta sufficient.

§. 18. Specialiter ut de Hæmorrhagiarum curatione aliquid adjiciam: In *Narium hæmorrhagia* externa illa topica, (si sanguis è sinu tertio falcati processus fluit, occipiti talia applicanda,) de quibus actum superius est, potissimum conveniunt. Tale quoque est, quod habet *Hartmannus in prax. chymiatr. p. m. 113.* Ex \mathcal{D} lamella vel thalerus, inter alia applicari debet, & fascia arctissime colligari, hoc extēplò juvat. Nuchæ aliàs ferrum, clavē e. gr. non sine successu applicant. Sola etiam fascia arctè constringuntur jugulares externè, ne adeò copiosè affluat sanguis. Haud rarò ad fortiora deveniendum est, ipsæ sc. nares validè occludendæ, quod, antequam fiat, prius pilul. ex laudano iis indere jubet *Hartmannus.* In *Hæmoptysi* commendatur potissimum *Scaligeri & Heurnii* pulvis, cujus ingredientia sunt semina papaver. alb., hyoscyam. albi, hæmatit. &c. vide *Heurnii comment. in aph. Hippocrat. p. 337.* De semine hyoscyami autem notandum, continuatum ejus usum nocere. Cæterum, ubi certò constat, ex pulmonibus sanguinem profluere, V. sectio, in ipso etiam paroxysmo, institui debet. Aliàs cum tenera sit pulmonum substantia, à casu oritur Hæmoptysis sæpè, & in hoc casu conveniunt Diaphoretica, Diaphoreticum in peracutis, ~ theriacalis camphoratus &c. itemq; quæ congruatum sanguinem, quem putrescere in pulmonibus, si superveniat febris, indicium est, dissolvunt; suntq; sanguis hirci, Essentia mumix,

mumia, chærefolii &c. præprimis folia bellidis, quæ & sanguinem
 resolvunt, & per insensilem transpirationem educunt. *In Vomitu*
Sanguinis conducunt acida illa quæ §. 15. tradita sunt, si cum aq. ur-
 tic. min. exhibeantur, subitanæ enim adstrictione fluxus hic opus
 habet, quia ingens virium dispendium inducit. Externè stomachi
 regioni quædam etiam applicari possunt, qualia laudati antea
Hartmanni experimenta sunt *citar. lib. p. 177.* Panis tostus in mal-
 vatico vel Acet. intinctus adperso pulvere caryophyllorum. Vel
 pulticula ex medulla panis secalini, & vino nigro adstringente ac
 Acet. fortissimo &c. Posthæc, si grumi in stomacho relictæ perma-
 neant, leniora purgantia, ex rhabarbaro, Casia &c. adhiberi de-
 bent. In Intestinorum difficultatibus, *Dysenteria* potissimum,
 post dictum lenissimorum purgantium usum, quæ acrem
 erodentem materiam in intestinis abstergunt, applicari etiam de-
 bent Clysteres adstringentes ex frondibus mori, femine urticæ,
 caudâ equinâ &c. cum saccharo & lacte, quod acrimoniam hu-
 moris insigniter demulcet. Clysteres etiam & suppositoria ano-
 dyna, externæ fomentationes, Emplastra & Unguenta styptica
 debite hic adhibentur, de quibus consule Autores practicos. In
fluxu hæmorrhoidum externa, linimenta & Cataplasmata conve-
 niunt. Pulveres gypsi itemq; suberis cum albumine ovi convas-
 fati *Petri à Castro* experimenta sunt: Solenander feliciter addit
 faldellas de Cotto, quæ nihil aliud sunt, quam Cortex qui ambit La-
 nuginem feminis Gossypii: Mumia ransmarinæ & suberis usti ana-
 sumptorum pulverem venis hæmorrhoidalibus applicatum com-
 mendat *Hartmannus*. Annulo ex dente Equi marini feliciter usus
 est *Magnif. D. Michaël.* talem etiam habet *Helmontius*. Cingu-
 lum ex foliis Ellebori nigri nudo corpori circumdatum laudat
Hartmannus: quæ omnia, ut laudatus ille *Hartmannus* vocat, *pro-*
prietate agunt. In *Miclu cruento* profunt potissimum Essentia
 agrimonie, hyperici, oculorum ☉, & therebinthinata omnia, quæ
 etiam consolidant. Externè ° ° hyperici, momordic. Ungvent.
 comitiss. inunguntur. Deniq; in *nimio Mensium fluxu* commen-
 dantur, quæ sanguinem incrassant, syrupus papaveris, è rosis siccis,
 bolus armena, &c. De reliquo, commendata hucusque adstrin-
 gentia

gentia & specifica proficua sunt. Potest etiam applicari pessus ex stercore suillo & asinino cum succo plantaginis &c. Tinctura Coralliorum summum in hoc fluxu arcanum est, si extracta fuerit cum menstruo temperato, post cujus abstractionem remanens mellago \sim \odot li recludi, & irrorari debet, sic cum \sim aliquo appropriato postea eò melius extractio succedit. Et hæc de curatione *Hæmorrhagiæ* dicta sufficient! De *Dieta*, ut multa addamus haud necesse est, ea enim cum in debito & moderato usu rerum non naturalium consistat, nos verò in §. 10. quæ ex illarum classe Hæmorrhagiam suscitare valeant, prolixè jam exposuerimus, quivis facillè exinde videbit, quid vitandum, quid agendum sit? Atque sic subsistimus hic, Benevolum Lectorem majorem in modum rogantes, ut singula meliore modo accipiat, & benevolè interpretetur. Immortali DEO sit Laus & Gloria!

Sanguineos cohibere doces, FRIDRICE, fluores;
Si sic vis niti sanguine, laude nites.
Esto is, qui nunc es, venis dum sanguen inerrat:
Mox Tyrio cinctus sanguine Doctor eris.

JOHANNES MICHAELIS, Hæreditarius in Bendorf, Phil. & Med. D. P. P. Facult. Med. Decanus, utriusq; Principp. Collegii Collegiatus, Archiater Elector. Saxon. & Ducalis Altenburgicus.

Profluit influxu pulsante coactus in orbem
Sanguis, sed nimium sæpius ille fluit
Sic tua Pierio fluxit solertia cursu!
Effluit & meritis auctaq; nacta decus!
Integra porro fluant nullisq; coercita metis
Fama, labor! secum prospera quæque trahant!

Cl. Domini Licentiandi honoribus gratulab. f.

D. SIGISMUNDUS RUPERTUS Sulzberger/
Anat. & Chirurg. P. P. Facult. Med. Asses.

F I N I S,